



E libris
gymnasio Mauritiano Magdeburgensi

a venerabili

Carolo Funk

theol. doctore et gymnasii direttore

a. 1857 hereditate relictis.

C. q. 14.

74
1877-1878

Ad lo
De 9
orati
De Dic
De ratio
De lon
De s
Des i
Htan
Gymn
Cataf
De B
Ethi
—
—
—
De
Ethi
Geo
De a
De p
De l
De
De l
De
Se
De i
Nij
Pho
De



43

IVRECONSULTVM

EX

ANTIQUITATE SACRA

REPRÆSENTATVM

PONIT

ABITVMQVE AMICI FAVSTVM

GRATVLATVR

GOTTLIEBIVS HERMANNVS HAHNIVS

DRESENENSIS

SS. THEOL. STUDIOSVS



VITEMBERGAE
STANNO SCHLOMACHIANO



IVRECONSULTVM

DE

ANTIQUITATE SACRA

REPRESENTAVM

TOME

ADTTMOE AMICI FAVSTVM

GRATVAVR

COTTIVR

RETTIVR

RETTIVR



VITMERE

STANNI

V I R O
NOBILISSIMO PRAECLARISSIMO IVRECONSVLTISSIMO
D O M I N O
IOANNI MARTINO PENICKIO

DRESENERI

CANDIDATO VTRIVSQUE IVRIS DIGNISSIMO
ATQVE NOTARIO PVBLICO MERITISSIMO

S P D

A V C T O R

Offero TIBI, AMICE, A PVERO PERQVAM DILECTE,
ingenuam illam firmiter meae amicitiae tesseram.
Offero TIBI, paucissimis his quidem lineolis, ICTVM,
eundemque tantummodo, varias ob causas, quod ad ipsius ortum,
dignitatemque egregiam attinet, EX ANTIQVITATE SACRA RE-
PRAESENTATVM. Cui quidem pertractando argumento, me eru-
ditione perfecta, et ingenio praestanti plane parem non esse,
nou. Tenuis enim ingenii mei vires libere profiteor. In eo ta-
men assidue elabovo, ut, adhibita omni opera, atque industria,
eas in dies adaugeam, ne decrescere forte uidear. Tria me po-
tissimum, huius quidem propositi examinandi, excitasse argu-
menta, scito. Quorum unum genus est, quod ad maiorem eru-
ditionis meae, eiusdemque iam perquam exiguae, amplificatio-
nem pertinet, alterum, quod in eo positum est, ut scribam,
quod TVAE, meaeque aetati sit apertissimum, et TVORVM studio-
rum auctoritati grauissimum, ultimum, quod ea absoluit, quae
ad amicae mentis meae uoluntatem, publice TIBI testificandam,
spectant maxime. Omnes eas, quas produxi, causas, pias,
iustasque esse, existimo, praeclaro et aequo TVO ipso relin-
quens cura, quae scripta sunt, iudicio. TE autem et diuinis
et humanis assidue, Dresenae, et Viremburgae, dedisse operam,
ita est in promptu, ut res disputatione non egeat. Ceteras TVAS,
A 2 quas

quas semper perspexi eximias, uirtutes, demandatas illas animo
TVO, et felici memoriae, linguasque elegantiores, quae erudi-
tum, et TE ornant, acquisitosque in plurimis scientiis habitus,
lubens praetermitto. TVAM animi aequitatem, comitatem,
humanitatem, TVAM denique morum elegantiam, reliquaque
et eruditionis, et cultioris uitae TVAE specimina, transeo.
Vereor enim merito, ne nostrae forte amicitiae, qua a tenera
iuuentute, tanquam fratres, sumus usi, fines temere trans-
gredi, imo et CICERONIS effatum negligere uidear, in ami-
citia, iniquentis, pestis nulla maior, quam adulatio, blandi-
tiae. Iudices sunt PATRES huius Academiae Magnifici,
iudices praesertim ICTI nostri Excellentissimi, qui TE in pu-
blico tentamine inuenere talem, qualem TE antea iudicarunt.
Iudices sunt Fautores, iudices Amici, qui amoenam TVAM
semper in deliciis, atque delectamentis habuere consuerudinem.
Iudex sit denique ipsa uirtus, iudex ipsa iustitia, quae TE,
CANDIDATVM, candida quasi ueste, uirtutis et industriae,
uelut quodam pretio, merito adornauit. Quam, magna laude
acquisitam dignitatem, eandemque cum felici discessu ex Aca-
demia nostra coniunctam, merito TIBI gratulor. piisque uotis
celebro. Summus ille Deus, in quo omnis mea spes, omnis mea
fiducia firme est posita, ille almus aequi iuris amator et au-
ctor TE, studiosum iustitiae, et aequitatis cultorem, aequis
semper prospiciat, paternisque oculis, TVAM sortem in dies
sinat crescere, imo ipse TIBI inclita ICTI Celeberrimi et
Amplissimi munera, breui, ex paterna sua mente, decernat ele-
mentissime. Sic propensiori rerum TVARVM amplificatorum
uoluntati, sic spei optimorum TVORVM, quos pie ueneror,
Parentum, sic uotis Amicorum, meisque satis fiet precibus.
Sic ubique integrae, stabiles, immortales, nostrae manebunt
amicitiae. Ea uotorum meorum summa esto, maneto. Vale
ac faue. Scr. XIII. Cal. Mai. A. R. S. CIO IO CC XXXXIII.

DE



DE
IVRECONSULTO



Leges iustae, et bonae, iustum semper bonum-
que testantur legislatorem. Optimus quis-
que legum editor, iis ipsis constitutis, sa-
pientissimam suam mentem, et ad bona
quaeuis pie flectentem probe declarat uoluntatem. Et
quis ignorat, prudentissimos, quorum quidem optimo
bonus princeps utitur, et in ferendis legibus, consilio,
intimosque principis amicos, peritissimosque iurium in-
terpretes, ad conseruandas illas a rege latas leges, omnia
plane conducere. Illa sane infelicissima iure aestimanda
est res publica, de cuius incolis et illud irati numinis apud
Esaïam pronunciatum ualet uerbum: Constituam uobis
principes נערים, *pueros, infantes, omnis quasi et iudicii*
et ingenii incapaces, et תעלולים, pueriles homines domi-
nabuntur in uos. Ibi neque honestarum, legitimarum-
que legum, neque ordinis cuiusdam ulla haberi potest
ratio.

ratio. O felicem contra illum rerum ciuiliū, sacramue ordinem, cuius נדיב *ingenuus, et liberalis princeps*, נריבון, *res ingenuas*, et ut BVXTORFII utar explicatione, *munificas*, in quarum numerum, et maxime salutare illas, ingenuasque refero leges, semper suadet, et quarum firma et stabilis ipsi eius perpetuo stat sententia. O beatos regionis incolas, qui probo, iustoque imperante, piis, iustisque consiliariis, et legum fruuntur interpretibus. Felicia et fausta quidem illa nostra praedico tempora. Omnibus autem id primum reipublicae iudaicae anteponendum esse tempus, iudico. Ibi, alias ne commemorem, et *forenses* maxime leges sapientissimo ordine erant constitutae, atque ab ipso quidem Deo, non tanquam a rege solum מלך העולם, rege omnium regum, et principe sapientissimo huius uniuersi, sed, quod et maxime, sacris scriptoribus, profanisque, IOSEPHO, THEODORETO, aliis, testibus, dictu dignum est, tanquam a *ciuili* rege gentis totius Israelitarum, firme sancitae, et corroboratae. Vtebantur autem et Iudaei praesertim iudiciis, iurium quidem et legum diuinarum, forensiumue maxime peritissimis, iisdemque ab ipso Israelitarum rege praepotenti uniuersae genti praepositis, ita, ut summam, egregiamque haberent inter Iudaeos dignitatem, auctoritatem. Et de his, tanquam de *Israelitarum ICris*, eorundemque *primo ortu*, et *dignitate* egregia, pro uilissimo mearum uirium modulo, aliqua proferre, induxi in animum.

Initia iurisperitorum breuibus iam examinaturus, ad πολιτειαν iudaeorum maxime ciuilem aduerto animum. In ipsa *patrefamilias* mihi, ab orbe condito celebres,

celebres, primo loco sunt nominandi. Nec et plane a ueritate alienum fore arbitror, si et *patres illos*, primos, ICtorum nomine fuisse ornatos, ad eorumque numerum admixtos, confirmo. Scio, *ICrum illum esse, qui omnia ex iusto et aequo diiudicat.* Vtrumque patribus conuenit. Antea enim quam diuina lex et uoluntas summi regis publice promulgaretur, ex naturali, diuino tamen, ipsi omnia pensitauerunt, id est, *iuste egere, iustitiamque exercere.* Ipsi ea omnia, quae hominum inter se officia continent, optime nouerunt, id est, *aequitatem* coluere. Inde, ut rerum ciuiliu[m], ante Nimrodum, administrationem, quae tunc temporis et penes eos fuit, penes quos et sacrarum rerum agendarum fuit potestas, plane taceam, factum est, ut Nimrodi maxime aetate, in *priuata et publica* administratione, *ICtorum* quaedam mihi obueneret species. Constat praeter ea ex historiis, tam sacris, quam profanis, ueteres illos patres familiarum, filiosque natu maximos domi, sua, suosque, *ad iustitiae normam et regulam* composuisse, immo, in liberis et seruis uitae necisque potestatem habentes, de sceleribus, a domesticis hominibus, commissis, aut domesticorum cuidam illatis, cognouisse, poenas statuisse, easque exequendas curasse ita, ut regis propemodum cuiusdam, et *ICti* simul egisse personam uiderentur. Conf. BONAVENTURA CORNEL. BERTRAMVS *de re publica ebraeorum Cap. III. p. 39.* Publicam perulstrans rerum ciuiliu[m] administrationem, quae in *μοναρχίην*, et *δημοκρασίην*, plerumque diuidebatur, eos, alio quodam nomine praeditos, inueniri, memini. In utraque *πολιτεία* mentio fit de *הזקנים* *senioribus* et *senatoribus*, qui uero in regia *μοναρχία* saepius etiam nominantur *עבדים*

עבדים *serui*. Vid. *Gen. XLV. 16. et L. 7.* Fuisse in illo seniorum coetu quosdam שוטרים *moderatores* et exactores, non, *affirmante Bertramo*, praefectos rerum iudicandum peritiores, et iurium consultiores, reliquis junioribus, sed *ministros magistratum*, εμβαστας et πραιτορας, et uti in Digestis, et Codice saepe nominantur, *executores*, relatum legimus. Conf. *C. l'Empereur annotations in BERTRAMI lib. de republ. ebraeorum et Exod. V. 14. 15.* Quae pauca de ortu ICTorum iudaicorum, usque ad ingressum in Cananaeam, dicta a me sunt. Eos autem, qui sequentibus temporibus ipsorum fuerint successores, alii tempori referuo. Breuior enim ut sim, שרי אלפים *capita illa*, quae millibus familiarum, שרי אות, quae centum שרי חבשים quae quinquaginta שרי עשרות, quae decem praecerant, et de illarum litibus leuioris momenti cognouerant, maioresque causas ad Mosē, tanquam summum ICTum deferebant, lubens transeo. Alios, sub Iosuae praesidio, *praefectos ex Leuitarum tribu*, alios sub regibus, שופרי המלך *scribas regis*, aut potius, Chaldaeo interprete, שרי רמלכא, *notarios*, alios, praetereo, *dignitatem ICTorum* breuibus commonstraturus eximiam.

Quatuor in primis adductus rationibus, dignitatem ICTorum maximam, illustremque, iudico. Erant enim, quod primo loco notandum, iudices, sub ipsius Dei regimine uiuentes, ab ipso Deo, principe, et rege totius gentis israeliticae honorificentissime constituti, adeoque sanciti, ut illos, qui morem non gererent sacerdoti, uel iudici, tam dignos aestimaret Deus, qui interficerentur, uti uidere licet ex *Deut. XVII. 12.* Mosi exemplum omnem rem faciet clarissimam. Quum ille summus populi



populi ifraelitici iudex, et egressor ex Aegypto, eligetur, apparebat ipsi אלהים, ipse Deus Abrahami, Isaaci et Iacobi, summa quidem maiestate, et regia quadam dignitate, in ignea flamma de medio rubi, regiaque sua uoce et praepotenti, illum, ad subeundum iudicis, ducisque munus, inuitabat, rebusque quibusdam mirabilioribus factis, animum, mentemque, ipsi addebat. Inde factum est, ut Moses a Philone, et aliis, *αριστος βασιλευς και νομοθετης*, *optimus rex et legislator* nominaretur. Nuncupabatur rex, quod summam inter Israelitas, si a Deo discessero, exercebat potestatem. et ex uno ipso pendebant omnia ita, ut non rex esset *αυτοκρατορας*, sed ille, qui omnia, Dei iudicio et uoluntate, se gerere libere profiteretur, et in eo omnem collocaret operam, ut et sua omnia in summi regis honorem cederent et gloriam. Dicebatur *legislator*, non, quia ipse, inscio Deo, dabat leges, sed, ut uero sensu uerbi uti liceat, unus *seuebat* ad populum, uoluntatemque regis, tanquam summus legum administrator, publice promulgabat. Vocabatur et ideo *Exod. IV. 16.* אלהים propter diuinam, quaungebatur, legationem, et magnifica illa opera, quae per eum Deus, coram Pharaone, efficiebat, ut optime Chaldaeus interpretaretur per *רר*, *ducem et principem*. Tali re constituta, facile cognitu est, etiam a Mosis, tanquam summi legum interpretis, persona et dignitate, ad dignitatem reliquorum iudicum, seniorumque, ualere consequentia omnia. Omnes enim uariae potestatis, uariisque ordinis ICtos israelitarum, ita induxit ad uaria fungenda officia, ut Deus ipse eos constituisse uideretur. Multa ut breuius comprehendam, et alios, praeter

B

Mosen,

Mosen, iudices, eodem האלהים Dei nomine praeditos, inuenisse, censeo. Sic Deus *Exod. XXI. 6.* et adducet, *inquit*, Dominus eius אל-האלהים ad Deos, Chaldaeus interpres recte אל-דינא *ad iudices.* Ex quo iudicis nomine facile conficitur, eos non tam imperandi, quam iuxta legis normam iudicandi, et sententias a Deo, a rege המלך רב, a maximo rege latas exsequendi, habuisse potestatem.

Refero, quod alterum est, ad summum honorem et amplissimam dignitatem, et id iure optimo, quod ii semper israeliticae gentis euocati sint ICI, qui uiri fuerunt, pietate, prudentia, et fortitudine excellentiores, quique donis, quae uocantur, propheticis, fuere instructi, tanti uiri, qui iudaicum populum non minus exemplo, ac praecceptis, institutisque ad uirtutem prouocabant. Talem nomino iudicem illum, cui nomen erat Athniel, de quo oracula diuini nos certiores faciunt, fuisse super ipsum רוח-יהוה spiritum domini, et iudicem Israelis factum esse. Inde et Deus, multo florentiorem, quam regum tempora ferebant, rem publicam, Esaiæ aetate, promissurus: restituam, *inquit*, iudices tuos, ut fuere prius, et consiliarios tuos, ut ab initio. Tunc uocaberis ciuitas הצדק *iustitiae*, et ciuitas נאמנה fidae pietatis.

Nec et, tertio, id honoris silentio plane praeterire possum, ordinem ICTorum cum ordine sacro interdum tam stricte fuisse unitum, ut pontifex, teste 10. SPENCERO, et iudices ordinarii regni essent praesides, qui, Dei loco, iudicia legis exercerent, ut omnia, si qua difficilia uel ambigua emergerent, ad sacerdotes, aut iudicem ab
Israe-

Israëlitis deferrentur. Reperimus, sacerdotes et Leuitas, ordinis, dignitatisque diuersas familias, saepius tamen simul Deo, tanquam *regi politico*, perpetuo inseruisse ministerio. Vnde quoque uerbum illud כהנים utrique commune est, adeo, ut non sacrarum rerum solum antistitem, sed et, *Iunio obseruante*, ministrum omnem in illustriori positum ministerio significet, cum כהן praesertim non *ministrandi* tantum, sed et *accedendi* uel *appropinquandi* notionem habuisse uideatur. Quod uidere est ex 2. Sam. VIII. 18. ubi Dauidis filii כהנים dicti, alio loco, 1 Paral. XVIII. 17. הראשונים ליד המלך, *uiri principes ad manum regis*, qui regi semper proximi sint a latere, uocantur. Et huc refero, ad dignitatem ICtorum demonstrandam, Mosen ipsum, ante, quam consecratum induceret Aharonem, apud populum sacerdotii munere gauisum esse, immo, si BERTRAMVM sequor, in כהונה in *tabernaculo conuentus*, iuris dicundi gratia, pro tribunali sedisse, et tunc, ex decreto diuino, et regio, pro suo uoto, et precibus, praefectura inclita iuridica illud munus commutasse. Quae quidem et ICtorum dignitatem, gloriamque, me iudice, facit solemniorem.

Quartum restat genus comprobandi ipsorum dignitatem. Relatum legimus, ipsos etiam in bello munus subisse, quo magis, Deo praeside iis nec consilia, nec auxilia ad pacis, belliue negotia unquam deesse potuerint. Constat igitur, omnem rem צבאות יהוה, *exercitus domini* i. e. Israëlitarum, iudicibus, Dei, יהוה צבאות, *domini exercituum* administratoribus, in bello semper feliciter processisse, Deumque, ius dicentes, *qua regem*, bella gerentes, *qua dominum exercituum*, repraesentasse.

Paucissimis his ortum dignitatemque ICtorum ex antiquitate sacra deductorum pro uiribus demonstraui. Iam ab orbe condito ipsos, nisi eo plane, tamen alio nomine, iisdemque probe officiis, usos fuisse, dixi. Illum ipsum ordinem a Deo autem ipso celebratum fuisse, ipsique sanctum, significauit. Ex eo liquet, et apud nos nomen ICtorum maxime esse colendum, uenerandumque. Sed obligantur quoque ex eo omnes Iurium periti, ut, ex praecepto Dei, qui ipsis tantos honores, tantam decreuit dignitatem, eo magis sese iustos, aequosque legum agant interpretes, fidosque diuini humanique iuris sese praestent custodes. Summus ille Deus, qui quondam nomen et personam regis Israelitarum publice professus est, ille Deus, cui et nostris temporibus, ordo ciuilis et iuridicus curae paternae, et cordi est, ille et nostrae semper annuat regioni, nostrae Saxoniae. Annuat Munificentissimo nostro et Serenissimo Regi, et Electori Principi. Annuat Amicis eius intimis, Consiliariisque optimis. Annuat autem et Senatui nostro academico, in cuius numero, pios, eruditissimosque ICTos, tanquam Iudices sancte ueremur. Annuat autem et omnibus, qui, fidi et integri Israelitae, diuina et humana iura amant, et ea probe obseruant. Sic et inter nos ualebunt Siracidis uerba: *Εκατω εθνη καθεστηκεν ηγεμενον ο θεος, και μερις κυριβ Ισραηλ εστι*: Vnicuique genti, et nostrae Saxonum genti, Deus constituit Praesidem, Israel autem Dei portio est. Sic nos omnes ueri erimus ICTi ex antiquitate sacra, imo ex diuinis ipsis oraculis, ad Dei uoluntatem, repraesentati.

* * *

72 May.

01 A 6670





5b.

VD 18

VJ 17

VD 18





43

IVRECONSULTVM
EX
ANTIQUITATE SACRA
REPRESENTATVM
PONIT
ABITVMQVE AMICI FAVSTVM
GRATVLATVR
GOTTLIEBIVS HERMANNVS HAHNIVS
DRESENENSIS
SS. THEOL. STUDIOSVS



VITEMBERGAE
STANNO SCHLOMACHIANO

